Summò Numine proſpiciente

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE

DN. DN.

FRIDERICO GUILIELMO,

ELECTORATUS BRANDEBURGICI HÆREDE,

&c. &c.

IN ILLUSTRI UNIVERSITATE FRIDERICIANA

Indultu

INCLUTÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

P R Æ S I D E

POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENB. CONSILIARIO ECCLESIASTICO IN DUCATU MAGDEBURGICO GRAVISSIMO, PROFESSORE JURIS ORDINARIO, CELEBERRIMO & p. t. FACULTATIS JURIDICÆ DECANO,

DN. HENRICO BODINO,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA

ritè conſeqvendi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

DE

COLLATIONE SUCCEDENTIUM LIBERORUM,

IN AUDITORIO MAJORI

Die 25. Junii Anno Chriſti M DC XCVI.

Horis ante & pomeridianis

Publicæ Eruditorum cenſuræ exponit

JOHANN SEBASTIAN MOESCHEL,

HALLA MAGDEBURGICUS.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

Excellentiſſimo & Nobiliſſimo

DN.

CHRISTIANO FRIDERICO KRAUTIO,

POTENTISS. ELECT. BRAND. CONSILIARIO CAMERÆ INTIMO ET PROVINCIARUM PRÆFECTO ÆRARII GENERALI,

PATRONO SUO OBSERVANTISSIMO,

Hoc qualecunque periculum Academicum offert & dedicat

Addictiſſimus Cliens

JOH. SEBASTIAN MOESCHEL,
Hall. Magdeb.

I. N. J.

DE Collatione bonorum quæ interdum fit inter coheredes, Exercitatione Academicâ inaugurali acturus, de ipſius vocis ſignificatione, initium mihi faciendum duxi: Cum nihil in rerum natura explicari, nihilque demonſtrari poſsit, ſine ſermonis verborumque rem ſignificantium beneficio, & in omni, præcipue verò juris noſtri arte, rerum quidem potior, verborum autem prior habenda ſit ratio. *L. 1. pr. ff. de J. & J. L. 1. §. 1. ff. de Suſp. Tut. l. 1. ff. de R. C.* Beſold. *de Regal. th. 1. §. 2.* Vi horum Textuum præcipuè *L. 7. in f. ff. de Suppell. Leg.* ſtatim me accingo ad nominalem horum verborum ſignificationem, nempe Etymologiam, Synonimiam & Homonymiam.

§. 1. Quod itaque attinet vocabulum hoc Collationis, derivatur illud à verbo *Fero*, & præpoſitione *Con*, ſeu cum, quæ aliis vocibus juncta denotat actionis cum aliis identitatem arg. *L. 1. §. 3. ff. de Pact. l. 2. pr. de O. & A.* Dicitur germanicè ein Mit-Bey-Zu-oder Einbringung quod quaſi in commune fertur & contribuitur Weſenb. *in Paratit. de Collat. n. 1.* quod idem ſignificat verbum compoſitum conferre à quo deinde collatio.

§. 2. Hoc autem vocabulum πολύσημον, ſeu diverſæ ſignificationis eſt: Sumitur enim Collatio (1) pro

munerum indictione. *Nov. 128. c. 1.* (2) Pro Tributorũ exactione ut in *L. 1. C. de Epiſc. & Cleric.* Hinc Collatores qui conferunt tributa, aliàs dicuntur Tributarii, Gothofred. ad *L. 2. §. 11. C. de Off. Præf. Urb. Nov. alleg. 128. de Collat.* (3.) Quando à Vectoribus navis levandæ gratia aliquid confertur, quæ & contributio dicitur. (4.) Pro ipſa collecta, apud Fridericum Imperatorem in Avth. item nulla *C. de Epiſc. & Cler.* & apud Cic. *Lib. 2. de Oratore*, collationes videntur eſſe pecuniæ quæ exiguntur. (5.) Collationis nomine venit illa collatio, quæ à convivis in cœnam aut prandium confertur, ſive pecuniaria ſive penuaria ſit. Terneb. *Lib. 3. adverſar. c. 6.* Variis præterea modis ſpecialibus adhuc in jure noſtro hæc vox uſurpatur, nempe pro Collatione vectigalium, aliarumq; functionum in *L. ult. §. patrimonialium ff. de munerib.* item prædiorum, *L. 14. §. 1. ff. d. t.* Collatione Bonorum inter Socios factâ. *L. 1. §. fin. ff. pro Socio.* Collatione annonæ. *L. 1. C. de præſcript. 30. ann.* Collatione operarum *L. 7. de Oper. publ.* Collatione muniendarum viarum cauſa *L. 6. C. de pignor.* Onere Collationis *L. 19. circa fin. C. de collat.* Collatione Scripturarum de qua notabilis text. in *L. comparationes literarum 20. C. de fid. Inſtr.* Collatione quæ fit inter Eruditos de re aliqua, vel inter Conſiliarios; Veriſſima enim omnium Philoſophorum, Medicorum, JCtorum & Theologorum opinio, nullum eſſe communiorem modum ad differentias cognoſcendas quàm Collationem opinionum, & rationum. Unde Novellis, Conſtitutionibus, Collationis nomen inditum, quòd veteres ibi Leges cum recentioribus conferantur, & mutatô ſtatu mutentur. Calv. *in Lexic. Jur. voc. Collatio*; & quid magis tam in publicis & privatis negotiis auditur, als daß eine Conferens ſey deswegen angeſtellet worden.

§. 3.

§. 3. In Jure autem Canonico Collatio accipitur pro gratuita quadam Beneficii vacantis aſſignatione, ab habente poteſtatem, Clerico à Patrono vel Epiſcopo legitimè facta. Non enim fieri debet precibus pactionibus, præmiô, pretiô, obſequiis, aliâque humanâ gratiâ. *c. Moſes. 8. qu. 1.* alioquin Symonia contraheretur, quâ collatio ipſo jure nulla redditur. *c. ordinationes* Panorm. *ad c. cum Clerici, de pactis.* Debet item fieri collatio, purè, non ſub conditione *c. 2. de Elect. in 6.* & de Patroni conſenſu, ſi Beneficium ſit Patronatum *c. Illud 6. X. de Jur. Patron. c. decernimus cauſ. 16. qu. 7.* quia clancularia collatio ſuſpicione non caret, ita ut licet, merô jure defendatur *L. non minorem 20. C. de Transaction.* aliis tamen antecedentibus adminiculis infirmari poſſit. Panor. *cap. 1. de clandeſt. deſponſ.* & tutiùs eſt non in occulto conferre beneficium *c. quia propter 8. §. f. de Elect.* Sed coram Teſtibus; licet alioquin ſtetur omninò litteris, avthenticô ſigillô annotatis, de quibus plura vid. apud Joh. Coraſium *in Paraphraſi ſua in materiam Beneficiorum.* Flamin. *de Reſignation. L. 10. qu. 1. n. 33.* cum noſtri inſtituti hâc vice non ſit ulterius in Collationem hanc ſecundùm Canones receptam inquirere, quàm neceſſitas & occaſio requirit.

§. 4. Homonymiam excipit Synonimia, quæ tam juxta idioma Latinum, quàm Germanicum ut & Gallicum variè exhibetur. Latinè hinc inde ab Autoribus vocatur Comparatio græcè παραβολή. Plaut. in Milone. germanicè eine Vergleichung eines Dinges oder Zuſammen- und Gegenhaltung mit dem andern. Apud Gallos vox *une Collation* idem eſt quod *un Banquet, ou Feſtin, une Conference,* quod idem eſt, ac ſi germanicè diceremus: eine Zuſammenkunfft etlicher guten Freunde.

§. 5. Sed de ejusmodi collatione, quæ fit, conſiliorum & delectationis gratiâ, nobis hic non eſt agendum, ſed de collatione rerum, & quidem quæ fit vitâ parentum peractâ, à liberis ad parentum demortuorum ſucceſſionem & diviſionem bonorum adſpirantium, de qua vid. Illuſtr. Dn. Stryk. *Tr. abſolutiſſimo de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſert. XI. per tot.* Vinn. *Tr. de Collation.* Brunner. *de Collat. Bonor.* & alios. Eine Miteinrechnung oder Einbringung der acceptorum, ſo das oder jenes Kind bey der Eltern Leben von ihnen bekommen / mit dem was die Eltern nach ihrem Tode verlaſſen.

§. 6. Definitioni nominali, igitur realis nunc accedat neceſſe eſt, quæ uti Logica in jure periculoſa dicitur *L. 202. ff. de R. J.* ita quoque variè à variis JCtis traditur. Dn. Georgio Adamo Struvio *in Syntagm. Jurispr. Civ. Exerc. 37. Lib. 37. tit. 6. de Collat. Bonor. §. 21.* Collatio Bonorum eſt, quâ rem ab Aſcendentibus vel occaſione horum, vivis ipſis, acceptam, Liberi illis aſcendentibus ſuccedentes in communem inferunt, & computant hereditatem, ſeu coheredi contribuunt. Alia Dn. Georgii Adami Brunneri *Tr. de Collat. cap. 1. n. 54.* quòd Collatio ſit actus, quô quis bona á parentibus accepta conferre tenetur coheredi.

§. 7. Nobis Collatio Succedentium, de quâ propriè hic agimus in præſentiarum, eſto actus, quô res ab aſcendentibus parentibus vel occaſione horum vivis ipſis acceptam, liberi, illis cum reliquis fratribus vel ſororibus poſt mortem ſuccedentes, in unam & communem hereditatis maſſam inferunt, & inter ſe dividunt, ad æqualitatem vel diviſionem juxta parentum voluntatem ſervandam.

§. 8. Conſtat autem hæc Definitio ſuis partibus,

genere

genere, materia, formâ & fine. Genus diximus actum, prout ex *Tit. ff. & C. de Collat.* patet, ab agendo, quia collatio fit ipsô actu, tum primò juxta LL. & Locorum ſtatuta tum ſecundò per æqualem diviſionem rerum à parentibus relictarum.

§. 9. Materiam ſeu objectum poſuimus res ab aſcendentibus parentibus vel occaſione horum vivis illis, à liberis acceptas, & poſt mortem relictas.

§. 10. Aſcendentium autem nomine intelligimus non ſolùm parentes, ſed etiam avum aviamque. Et per res, omnia profectitia & à parentibus accepta nec non poſt mortem relicta bona, mobilia moventia & immobilia.

§. 11. Deſcendentium nomine veniunt Liberi ſive Emancipati vel adhuc in patria poteſtate conſtituti, Majorennes, Minorennes, vel pupilli utriusque ſexus.

§. 12. Forma eſt Illatio ſeu Collatio in communem hereditatis maſſam.

§. 13. Et finis eſt, æqualis, aut juxta voluntatem parentum, hereditatis communis & unitæ, diviſio.

§. 14. Hinc ſequitur qui non ſuccedunt, non conferunt, aut abſtinendo hi qui ſuccedere poſſunt ſe liberant à collatione. Molina *de J. & J. Diſp. 237. n. 10.*

§. 15. Origo Collationis inter Succedentes Prætori adſcribitur. Cùm enim Prætor animadverteret Jure Civili, Liberos Emancipatos, tanquam factos extraneos, à ſucceſſione parentum excludi, contra tabb. ad ſucceſſionem illos vocabat, & participes bonorum paternorum cum his qui adhuc in poteſtate paternâ erant, faciebat, ne tamen ſui læderentur, ut qui cuncta, non ſibi ſed patri acquirebant, ſummâ æquitate motus,

 ſtatuit,

ſtatuit, ut Emancipati ſua quoque bona à parentibus per emancipationem accepta conferant. *L. 1. pr. ff. de Collat.*

§. 16. Deinde hâc æquitate moti poſtea Imperatores reſcriptis ſuis, Collationis beneficium ampliarunt. Hinc Illuſtr. Dn. Stryk. *ſupra d. Diſſ. XI. §. 8.* Diverſas materiæ collationis ætates, facit; Primam ſub Prætore, qui Emancipatis liberis vel contra Tabb. vel ab Inteſtato cum liberis ſuis ad ſucceſſionem vocatis, conferendi neceſſitatem bonorum qualiorumcunq; propriorum, exceptis tamen Caſtrenſibus vel quaſi Caſtrenſibus impoſuit. juxta *d. l. 1. §. 15. per tot. ff. de Collat.*

§. 17. Secundam ætatem ponit, ſub JCtis & Imperatoribus usque ad Juſtiniani tempora. *L. Si filius 10. ff. de Coll.* Ubi Prætoris Edictum à Scævola vel ſi mavis à Triboniano juxta errorem Ant. Fabr. *de Error. Pragmat. Decade 40. Err. 10. ad h. l. 10.* Extenſum eſt, ut etiam ſuo conferatur, qui ex teſtamento hereditatem obtinebat ſi Emancipatus contra Tabulas bonorum poſſeſſionem petat, quamvis enim ita diverſo jure ſuccedant, injuriam tamen per Emancipati poſſeſſionem bonorum ſuſtineret ſuus, quæ per collationem ita emendanda. Reſcriptis Imperatorũ etiam de novo hoc Collationi acceſſit ut filia etiam in poteſtate conſtituta dotem conferret, ut ut non petat Bonorum poſſeſſionem, modo ſe bonis paternis immiſceat per reſcriptum D. Pii Imperatoris ad Ulpium Adrianum in *L. 1. princ. ff. de Dotis Collat.* imò & hoc acceſſit quòd ad inſtar dotis etiam donatio propter nuptias conferenda, etiam in ſucceſſione matris & aviæ, ubi antea ceſſabat, per Conſt. Leonis in *L. 17. C. de Collat.*

§. 18.

§. 18. Tertia ætas Collationis ſub Juſtiniano ipſo acceſſit, nam quamvis primitus bona quædam ſc. adventitia, à Collatione Imperator exemerit. *L. cum oportet 6. C. de bon. quæ liberis.* quô factum, ut non omnia bona collationi manſerint obnoxia, ſed illa tantum quæ à parente profecta, ſive quæ patri acquirebantur. *L. f. C. de Collat.* & ibi Dn. Brunnem. tamen poſtea, cùm Emancipationis & Suitatis, ut & ſexûs reſpectum in jure ſuccedendi tam teſtamentario quam ab inteſtato Imperator ſuſtuliſſet, per *§. 5. I. de Exhered. Nov. 118. c. 4.* Simplicem conferendi neceſſitatem liberis utriusque ſexus & cujuscunque reſpectus, ſive ex teſtamento ſive ab inteſtáto ſuccederent, Imperator Juſtinianus impoſuit per *Novell. 18. c. 6.* & ita *l. 1. & 7. C. de Collat.* derogatum eſt. Niſi expreſſè ipſe Teſtator deſignaverit, ſe velle non fieri Collationem *d. Nov. 18. c. 6.* adeo ut conjecturalis collationis prohibitio ex teſtamento parentum deſumta non ſufficiat, Fach. *Cent. 5. c. 78. §. hic* oritur quæſtio: nec tacita, Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. de Collat. c. 6. §. 7.* Mevius *P. 4. deciſ. 233.* de quibus infra in Collationi contrariis, agendum erit.

§. 19. Jam nobis etiam de perſonis, quæ & cum quibus conferant dicendum eſt, quia notum eſt Succedentes ab inteſtato in Deſcendentes, Aſcendentes, & Collaterales diſtingvi, quibus jure novo & ex quorundam locorum ſtatutis conjuges adjiciuntur. Uti videre eſt in *d. Diſſertat. XI.* Illuſtr. Dn. Stryk. *cap. 2. §. 1. 18. 19. 20. 21.* & ibi alleg. DD. Struv. Brunner. & alii ab illo allegati. Sed quia collatio propriè ſolùm in ſucceſſione deſcendentium locum habet, ideò de ſucceſſione Aſcendentium, (de quibus vid. Bach. ad Teutler. *Vol. 2. Diſſ. 17. th. 2. lit. B.*) Collateralium & Conjugum

nec

nec non Extraneorum hic ſuperſedimus, & ad dictos DD. nos remittimus, ſolumq; circa Deſcendentes aliquos caſus proponere animus, cum jure Juſtinianeô noviſſimô indiſtinctè Collationis neceſſitas liberis utriusque ſexus per *Nov. 18. c. 4. in f. & c. 5. circ. fin.* impoſita ſit, juxta *d. Nov. 18. c. 6.* Sive Deſcendentes ex teſtamento ſive ab inteſtato parentibus utriusque ſexus ſuccedant, ſive ſint Emancipati, ſive ſui, *l. 17. l. 19. l. 29. l. ult. C. de Collat. Nov. 118. c. 6.* vid. Barry *de Succeſſ. ab inteſt. l. 14. n. 1.* Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. c. 2. §. 2. usq. ad 9.*

§. 20. Qv. igitur 1. Quid de Legitimatis vel per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum Principis ſit ſentiendum? Et Reſp. Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. c. 2. §. 9.* quod & hi à defuncto parente, ob æqualitatis rationem & amorem, accepta conferre teneantur. 2. Quid de adoptivis? Et reſp. Quod hi, in illis caſibus ubi patri adoptivo ſuccedunt, etiam liberis ejus naturalibus conferre teneantur, illa quidem quæ ab eodem patre acceperunt; Patri vero naturali ſuccedentes extra dubium quoque conferunt quæ ab illo provenerunt. vid. Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 37. §. 24.* (3.) Qv. de Poſthumo, an, quando hic cum fratribus concurrat, hi ad collationem ſint obſtricti? Et diſtingv. in *L. 12. ff. de Collat.* inter poſthumum naſciturum & natum; Si enim naſciturus ſit tempore mortis parentis, quamvis matri ventris nomine in poſſeſſionem miſſa ſit, aut mitti debeat, attamen interim ceſſare collationem dicitur, quia antequã naſcatur non poteſt dici in poteſtate morientis fuiſſe. Poſtquam autem natus eſt poſthumus priores natu fratres accepta à parentibus cum illo conferre debent. Et quamvis hæc L. diſtinctio videatur pugnare cum aliis Textibus juris, quibus poſthumus

humus pro jam nato habeatur *L. qui in utero 7. & 26. ff. de statu hominum.* & poſthumus patri ſuccedat, perinde ac ſi ante patris mortem fuiſſet editus. *L. 6. in f. & l. 7. ff. de Suis & Legitim. hered.* illiq; ſubſtitui poſſe *L. 2. in princ. verb. poſthumis plane poſſumus ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* adeo ut poſthumo tres portiones hereditatis debeant reſervari, cum fortasſis tergemini naſci poſſent. juxta *L. 3. in f. ff. Si pars hered. pet.* & expreſſè quoad punctum "collationis in *L. 11. C. de Collat.* dicatur: quod poſthumô "præteritô patris teſtamentum rumpatur, atque ab in- "teſtato ſuccedatur, emancipatumq; petitâ poſſesſione "bonorum, conferre debere ſua bona, cum his etiam qui "futuri eſſent, ſi vivo patre nati eſſent heredes, ma- "nifeſtè ſignificetur. Tamen manet diſtinctio *L. 12. ff. de Collat.* in ſalvo, & *L. 11. C. h. t.* de poſthumo jam nato intelligenda eſt, quia in materia collationis præſupponendi ſunt termini habiles, ſc. poſthumum jam natum eſſe, quia circa collationem multæ contributiones utrinque intercedunt, variaque calculi ſubductio ſive re ipſa fiat, ſive minus accipiendo per *L. 1. §. filiam. 8. ff. de Dotis coll.* Infans enim in ipſo partu mortuus antequam in lucem edatur & ſpiritum edat non ſuccedit, nec hereditatem quam non habet ad heredes transmittit per deducta. Carpz. *P. 3. Conſt. 17. Def. 17.* quare ſatius eſt differre turbulentum collationis remedium in nativitatem poſthumi ne fruſtra inveniſſe dicatur. *L. hac ſtipul. 12. §. f. ff. ut legat. nom. caveat.* præſertim cùm paucorum menſium mora non noceat. *L. Si debitori 21. ff. de Judic.* (4) Qv. de Nepotibus? cumq; hi jure repræſentationis ſuccedant parentibus jus collationis in illis meritò locum habet. Concurrunt autem vel cum parentum fratribus & ſororibus, aut concurrunt inter ſe

 ſoli

ſoli nepotes, ſi cum parentum fratribus concurrunt, tunc aut ab hereditate paterna abſtinent, & ſoli avo ſuccedunt, aut ſimul heredes patri & avi fiunt: Ultimô hoc caſu res expedita eſt, ipſos ad collationem ex perſona patris obligari cujus factum præſtare tenentur. *L. 14. C. de R. V. l. 40. ff. de R. J. l. 17. & 19. C. de collat.* ubi etiam hæc quæſtio reſolvitur quantum hôc caſu conferant Nepotes, nempe nepotem obligatum eſſe ad illa conferenda quæ pater vel mater ejus fuiſſent collaturi, & hinc nepotes ex matre, totam dotem quam mater accepit, conferre tenentur. Carpz. *P. 3. C. 11. Def. 31. n. 10.* Illuſtr. Dn. Stryk. *Diſſ. XI. cap. 2. §. 13. usq. ad 18.* in primo autem caſu ubi patre matreve obæratis præmortuis, ab horum hereditate abſtinuerunt, & jam avo vel aviæ ſuccedere volunt, Dd. quidem vulgo diſtinguunt, an ſoli nepotes ex diverſis liberis præmortuis avo ſuccedant; & tunc illos non conferre, quæ parentes acceperunt, ſi verò cum patruis, tum licet repudiaverint paternam aut maternam hereditatem, tamen illos a collatione illorum, quæ parentes acceperunt, ſeſe ſubducere non poſſe. vid. Vinn. *de Collat. c. 12. n. 1.* Heig. *1. qu. 24.* Carpz. *P. 3. Conſt. 11. Def. 34.* Verum cum & in nepotibus per alium parentem, cum obærati liberis, ad ſucceſſionem communis avi vel aviæ venientibus, eadem ratio quæ in patruis ſubſit, neque liberis facile permittendum ut in fraudem creditorum & ignominiam genitoris, parentum hereditatem omittere & avo ſuccedere velint, ſupradicta diſtinctio, meritò videtur ſuſpecta, & potius nepotes omni caſu ea quæ parentes acceperunt conferre debent; neque *l. 2. pr. de Collat.* & alia quæ a diſſentientibus allegari ſolent contrarium evincunt.

§. 22. Circa ipſa bona & res ſeu objectum collati-

 onis

onis notandum quod bona Caſtrenſia vel quaſi per generalem regulam in *L.ult.C. de collat.* non conferantur, cum Imperator Juſtinianus ibidem non alia conferre voluerit, quàm quæ à parente, cui ſucceditur, profecta & ipſi acquiſita *L. 1. §. 15. ff. de Collat.* Caſtrenſia autem ſunt quæ in militia agenti filio à parentibus vel aliis donata ſunt, ſeine Mundirung & arma *L. 3. & l. 11. ff. de Caſtr. pec.* item quæ filius concedente patre ſecum in caſtra tulit, *l. 4. de Caſtr. pec.* ut & emta à filio ex peculio caſtrenſi *l. 1. C. eod.* & hæc omnia niſi expreſſe pater voluerit, non conferenda; idque propter ſummum militiæ favorem *l. ult. C. de collat.*

§. 23. Simili modo inter quaſi Caſtrenſe peculium meritò referuntur, non ſolum quæ artibus liberalibus & per togatam militiam ſibi quæſivit filius *l. ult. C. de inoff. teſt. l. 6. in fin. pr. C. de bon. quæ lib. l. 1. §. 25. de Collat. §. ult. I. de teſtam. mil.* ſed & omnia illa quæ filius occaſione ſtudiorum à parentibus vel aliis accepit aut acquiſivit per textus de caſtrenſi peculio in §. præced. allegatos, cum enim quaſi caſtrenſe peculium ad exemplum caſtrenſis peculii introductum ſit, *d. §. fin. I. de milit. teſtam.* cum hoc eadem jura habere cenſendum; quod & omnes textus de eo loquentes confirmant; in ſpecie quo ad filios Advocatos textus aureus occurrit in *l. 14. C. de Adv. div. jud.* cujus ponderoſa verba ſunt: *Advocati qui dirimunt ambigua fata cauſarum ſuaq; defenſionis viribus in rebus ſæpè publicis ac privatis lapſa erigunt fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm ſi prœliis atq; vulneribus patriam parentesq; ſalvarent. Nec enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur, ſed etiam advocatos; militant namq; cauſarum Patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine laborant, in ſpem vi-*

 tam

tam & poſteros defendunt. Qui textus optimè contra contemptores Advocatorum notandus, Ars enim non niſi ignorantem habet oſorem, loquimur autem de Advocatis doctis, conſcientioſis, & judicioſis, non de indoctis rabulis. Et huc referuntur omnia alia bona, quæ litterarum ſtudiis ſive Theologicis, ſive Juridicis, ſive Medicis Philoſophicisque ſunt acquiſita, vel occaſione illorum ad ſtudia comparanda ad liberos pervenerunt, quæ omnia non conferenda Struv. *Synt. Jur. Civ. ad lib. 37. tit. 6. aph. 30. l. un. C. de Caſtrenſi omnium palat. peculio.. L. velut. 7. verbis: Si quid licitis honeſtisq́ lucris coadunare potuerunt. C. de Adſeſſ.* in ſpecie de ſtudiorum ſumptibus notabilis eſt textus Ulpiani in *L. quæ pater 50. ff. famil. herc.* verba Legis ſunt: *Quæ Pater filio Emancipato ſtudiorum cauſa peregrè agenti ſubminiſtravit, ſi non credendi animô pater miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debitâ ductus in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit comparari æquitas non patitur.* vid. pluribus Brunn. *tr. de Collat. bonor. c. 4. n. 58.* item Brunnem. *ad l. 1. ff. de collatione.* Quo pertinent etiam libri ſtudiorum cauſa comparati Dn. Richter *ad Auth. Habita C. ne fil. pro patre Diſſ. 5. ampl. 8.* Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. c. 3. §. 9.* Hinc Carpzov. opinio ad *C. 11. part. 3. def. 20.* dura, ubi ſtatuit conferendos eſſe ſumtus ſtudiorum, qui ſpecialiter conſignati, dicta enim *L. 50. ff. familiæ herc. verb. comprobatus* non deſignationem ſed comprobationem poſtulat, quòd ſolummodò credendi animô pater miſerit, qui animus comprobandus eſt, quia filius & ſtudia favorem & præſumtionem juris pro ſe habent. Proin in Deciſione Elect. Sax. nov. generaliter diſpoſitum reperimus: Daß dergleichen Unkoſten/ſo zum Studieren oder Erlangung eines gradus aufgewendet/die Kinder nachmahlen bey

der Eltern Theilung zu conferiren oder an ihrem Erbtheil kürtzen zu laſſen nicht ſchuldig/wann auch gleich die Eltern ſolche Unkoſten in ihre Hand-oder andere Bücher aufgezeichnet hätten; Es hätten denn die Eltern ausdrücklich ſich erkläret/ und würde ſonſten beygebracht/ daß das Kind die aufgewendeten Unkoſten conferiren/ und in der Erbſchafft wieder abkürtzen laſſen ſolte. Quæ diſpoſitio *L. 50. ff. fam. erciſc.* etiam locum habet in ſumptibus ſtudiorum, quos mater ſuppeditavit, idem enim favor eademque pietatis præſumtio hic eſt, quamvis inæqualis alias ſit patris & matris poteſtas per *L. 4. ff. de Curat. fur.* addatur Carpz. *d. P. 3. C. XI. def. 17. n. 3.* per ibi alleg. LL. & DD. quod & procedit ſi avus vel avia utriusque ſtirpis ſumptus ſtudiorum nepoti ſuppeditent. vid. Richter ad *d. Auth. Habita Diſſ. 5. pag. 51.* Porro extenditur hæc diſpoſitio *L. 50.* ad ſumptus peregrinationum utiliter impenſarum, quo prudentiam civilem & ſolidiorem ſibi filii comparent. Carpz. *P. 3. Conſt. 11. def. 17. & 18. n. 5.* quia coram & in ipſis regionibus, aulis, Imperatoris, Regum, Electorum & Principum, ut & Civitatibus liberis, ſeu præſtantioribus, verior morum, lingvarum, legum obſervationumq; politicarum, & hominum examen, collatio & trutinatio poteſt inſtitui, ſi coram inſpiciamus & addiſcamus, quam ſi aliorum ſolummodo traditis, ſæpe fallacibus fidem habeamus. Et ex eâdem ratione quoque non conferuntur ſumtus ad conſequendum Gradum Doctoralem, Licentiaturæ, Magiſterii & Notariatûs, ut & comitivam lauream que poeticam à patre filio ſuppeditati. Carpz. *d. P. 3. Conſt. 11. Def. 17. & 18.* Richter *ad auth. Habita Diſſ. 5. p. 109.* Illuſtr. Dn. Stryk. *d. tr. de Collat. c. 3. §. 15. 16. & 17.* Illi autem ſumtus quos ad addiſcenda opificia pater impendit, omni-

 no con-

no conferendi,quia nulla lege privilegiati nec *d. L. 50* ultra togatam militiam extendenda Struv. *Syn. J. Civ. l. 37. tit. 6. §. 29.*

§. 24. Hæc omnia autem ita limitamus quod beneficium de non conferendo ceſſet,ſi filius præter ſpem patris ſumtus ſtudiorum cauſa illi ſuppeditatos malè collocaverit,ceſſante enim cauſa ceſſat effectus favorque ſtudiorum. Vinn. *de Collat. cap. 13. §. 7.* & Illuſtr. Dn. Stryk. *d. tr. c. 3. §. 18.* addatur *Dec. Elect. Sax. nov. 50. in fin. verb.* So wir erfahren würden/daß ſie mit bloſſer Uppigkeit der Eltern Vermögen verſchwendet/ſie ſolches Privilegii deſſen ſie ſich unfähig gemacht/ꝛc. verluſtig zu erklären. Hoc tamen ita ſublimitandum, quod ſi tamen filius ſtudiis pro ingenii modulo operam dedit, nec prodigaliter & luxurioſè pecunias in nimia veſtimenta,luſus aut alias prodigalitates convertit,non protinus ſumtus in ſtudia à parentibus ſuppeditatos debeat conferre,ſed illi ſecundùm facultates & conditiones filii,& parentum,cæterorumq; liberorum numerum ſunt determinandi,ne fratres & ſorores in legitima nimis lædantur. Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. c. 3. §. 19.* Legitima enim favorabilior eſt ſtudiis arg. *l. 7. in pr. ff. de Bonis damnator.* ubi Imperator vult etiam illo caſu ubi pater propter delictum omnibus bonis aliàs privandus, legitima tamen liberis relinqvatur, cum liberos, natura ſimul & parentum cõmune votum ad ſucceſſionem parentum vocet. juxta *L. 7. §. non ſic, ſi Tabb. teſtam. nullæ. L. quoniam 32. C. de inoff. teſtam.* junge *Dec. Elect. Sax. nov. 50. verba:* Da die Unkoſten ſo übermäßig / daß denen übrigen Kindern die Legitima geſchwächet wird. (2) Limitant Dd. comm. regulam, quòd ſumtus ſtudiorum à patre filio ſuppeditati,ſint conferendi, ſi filius ipſe habeat

beat propria bona à matre profecta vel alia adventitia hoc enim caſu dicunt, ſi pater non expreſſe profeſſus ſit quod filio ex propriis bonis ſumptus ad ſtudia erogaverit, præſumi ex maternis bonis filio propriis, hos dediſſe. arg. *l. 5. §. 7. §. 19. l. fin. ff. de agnoſc. vel alend. liber.* additâ ratione quod cui ad alimenta non obſtrictus ſit pater, huic neque obſtrictum eſſe ad ſumtus ſtudiorum. vid. Carpz. *P. 3. Conſt. XI. Def. 19. n. 5.* & Brunner. *de Collat. c. 4. n. 79.* Struv. *dict. Exerc. 37. th. 30. Except. cum ibid. allg.* filio autem qui bona à matre vel alia adventitia habet patrem alimenta ſuppeditare non obſtrictum eſſe; & ſic neque ad ſumtus ſtudiorum. Verum cum pater liberis ſimpliciter, non in ſubſidium alimenta præſtare cogatur, *l. 5. §. 2. & 14 ff. de agnoſc. & al. lib.* Mater vero non aliter quam ſi pater vel mortuus ſit, aut nihil in bonis habeat, aut liberi vulgo quæſiti ſint, *d. l. 5. §. 4. & 5. l. pen. de agnoſc. & al. lib. l. 14. C. de Jure dot.* Sumtus vero ſtudiorum, quæ ex voluntate patris filius tractare debuit, ex officio paterno præſtari debeant. vid. Surd. *tr. de Alim. tit. 4. qu. 6.* Mynſing. *lib. 3. obſ. 12. l. 6. 7. de alim. & cib. leg. l. 4. ubi pup. educ. deb. l. 6. §. 5. de carbon. edict.* Rectius videtur dicendum, quod pater ſumtus ſtudiorum quos in filios erogavit, iisdem, de bonis maternis, quæ pater eo usque adminiſtravit, detrahere non poſſit; ſicuti nec dotem filiabus ſimpliciter datam, ex propriis, non ex maternis dediſſe videtur *l. ult. C. de dot. promiſſ.* Nec obſtant textus in contrarium adducti, quod conflictus oſtendet.

§. 25. Jam de bonis profectitiis, quales ſunt quæ à patre vel intuitu patris ad filium pervenerunt per *l. 5. ff. de jure dotium,* & adventitiis quæ aliunde quàm à patre, ſc. vel à matre vel cognatorum hereditatibus vel

for-

fortunæ favore liberis adveniunt; de his ſciendum: cum Imperator Juſtinianus & in adventitiis proprietatem liberis dederit per *l.6. C. de bon. quæ liber.* quod etiam collationem horum bonorum prohibuerit, juxta expreſſum textum in *l. ult. C. de collat. verb. Quascunq; res parentibus acquirendas eſſe prohibuimus, illa nec collationi poſt obitum eorum inter liberos ſubjaceant.* Profectitia vero quod attinet bona, illa ſive à patre vel matre proveniant, defuncta alterutra parte eorum parentum ad demortui hereditatem regulariter conferuntur. *L. ut liberis 17. C. de collat.* Fachin. *cont. jur. l. 5. cap. 77.* Ad profectitia autem bona referuntur inprimis dos; cujus quidem collationem & Prætor antiquitus æquam eſſe cenſuit. *L.1. & t.s. ff. de dot. collat.* quæ tamen neceſſitas conferendi dotem a patre datam ceſſat, ſi filia ex bonis mariti dotem ſalvam non habeat. *l. 1. §. 6. l. 2. ff. de dot. collat. Nov. 97. c. 6.* de cætero quia eadem ratio quoad collationem faciendam in donationibus propter nuptias ſubeſt quæ in dote, ideo & illa conferenda, per *L. 17. C. de collat.* juncta *l. 29. C. de inoff. teſtam.*

§. 26. Dotis conſtitutionem vel antecedunt vel ſeqvuntur nuptiæ, proin videndum an filius vel filia ſumtus nuptiales ab alterutro vel conjunctis parentibus ſuppeditatos, defunctis illis cum fratribus & ſororibus conferre debeant; Sumptus illi autem non ſunt unius generis e. g. arrhæ ſponſalitiæ, ſumtus veſtimentorum & ornamentorum, ſumptus convivii nuptialis & ſubſidia ad inſtruendam œconomiam; & generalis traditur regula quòd illi ſumptus, quos parentes pro honore & exiſtimatione propria, quamvis largiter, impertierunt, ad collationem trahi non poſſint, prout ſunt arrhæ ſponſalitiæ forte lautiores & in quantum reciprocè accepta

cepta excedunt, item ſumtus convivii nuptialis, ex quibus penes filium vel filiam nullum remanet lucrum nec locupletiores exinde facti ſunt. Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. c. 4. §. 8.* Carpz. *P. 3. Conſt. XI. Def. 21. & 24.* Brunner. *tr. de Collat. c. 4. n. 824. & ſeqq.* Niſi ſint immodici, & ſic intelligendus Carpz. *d. P. 3. Conſt. 11. Def. 12.* aut aliud de mente parentum conſtet, quò referendæ ſunt limitationes Carpz. *Def. 22. & 23.* ſed nuda conſignatio parentis non ſufficit, quia hæc memoriæ causâ ut plurimum fit. Dn. Brunner. *Cent. 5. Dec. 21. n. 4.*

§. 27. De veſtimentis & ornamentis nuptialibus autem aliter ſe res habet, proinde illos conferendos ſtatuimus, tum quòd hâc ratione ſint acceſsio dotis vel paraphernalium. Hahn. ad Weſenb. *Paratit. ff. tit. de Collat. n. 1.* Carpz. *P. 3. C. 11. D. 11. n. 5.* tum quod locupletiores inde reddantur liberi. conf. Illuſtr. Dn. Stryk. *de J. ? Veſtiario. cap. 5. num. 40. ſeqq.* Econtra ex contraria ratione ſtatuimus ſubſidia paterna quæ liberis elocatis à parentibus ad Oeconomiam inſtituendam in rebus fungibilibus quales ſunt: frumentorum, variæ ſpecies, vinum, cereviſia pecuniæ, præſertim primô annô datæ collationi non eſſe obnoxia, niſi ſint immodica aut ad certam quantitatem pecuniarum aliarumque rerum fungibilium quotannis ſolvendarum adſtricta, quæ tunc collationi obnoxia eſſe deducit Carpzov. *P. 3. C. 11. Def. 15.* Pro primo enim caſu militat præſumtio juris & favor, parentes nempe ex liberalitate donaſſe ſubſidia modica ad inſtituendam œconomiam, poſteriori vero caſu conjecturandum, taliter data potius eſſe acceſſoria vel augmenta dotis vel donationis propter nuptias. *arg. l. penult. §. 1. C. de Collation.* Jac. Menoch. *de Arbit. Judic. quæſt. lib. 2. Cent. 1. caſ. 88. n. 2.*

 Carpz.

Carpz. *P. 2. C. 12. Def. 38. n. 8. & 9.* In d. enim *l. pen.* diſtinguit Imperator dotem & ante nuptias donationem tanquam conferendam, à donatione ſimplici, quam ad collationem minimè regulariter coarctandam ſtatuit. Subjicit autem caſum ſpecialem, quô etiam donatio ſimplex debeat conferri, quando ſc. quibusdam liberis dos vel donatio propter nuptias data eſt; cœteris autem liberis loco ejus donatio ſimplex facta; quoniam enim illi dotem & donationem propter nuptias conferunt, hi, quæ per ſimplicem donationem acceperunt quoque conferre tenentur, quia præſumtio eſt patrem eôdem affectu donaſſe, aliàs emergeret inæqualitas, præter hunc autem caſum donatio ſimplex, & multò magis remuneratoria non confertur, modò de expreſſô parentum animô donandi conſtet, ut illas res præcipuas habeat donatarius *L. 13. C. de Collat.* quod enim datur ut præcipuum, germanicè als ein voraus/ non confertur, vid. David Mev. *P. 1. Dec. 84.* & Dn. Brunnem. *in C. ad d. l. pen. §. 1. in f. de Collat.* niſi hujusmodi legem (ſc. conferre debere) donator tempore donationis ſuæ indulgentiæ impoſuerit, per verba fin. *d. l. pen.* id eſt, niſi teſtamento etiam per ſimplicem donationem data, conferri juſſerit, quia hoc ſemper integrum parentibus manet, per *Nov. 18. c. 6. in fin.* vid. plur. Ant. Faber *de Error. pragmat. Decad. 40. Err. 4.* quorum voluntas probe etiam per conjecturas & præſumtiones examinanda, quia æquitas pro collatione militat. Mev. *d. P. 1. Dec. 84. n. 4.* Mangil. *de Imput. & detractionibus quæſt. 14. n. 53.* Quid autem ſentiendum ſit de ſoluta per patrem pecunia, ob delictum & condemnationem filii, an & quando ſit imputanda in legitimam vel conferenda, vid. Mangil. *d. tr. qu. 40. per tot.*

Carpz.

Carpz. *P.3. Conſt. 11. Def. 28.* quidem putat quod pater in pœnam dedit non conferendum, quia ex pietate præſumitur datum, ſed contrariam opinionem veriorem eſſe cum Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. XI. c. 4. §. 18.* ſtatuimus Mangil. *d. qu. 40. n. 8.*

§. 28. Circa formam vel modum collationis quæſtio oritur præliminaris, quomodo collatio inſtituenda, an collatio fieri debeat ante diviſionem hereditatis, an vero poſtea, ubi hi, qui collationem urgent contra coheredes, timentque hos collationem detrectaturos, hanc adhibent cautelam, ut poſſesſionem rerum hereditariarum coram notario & teſtibus arripiant, arceantque reliquos à compoſſesſione donec conferant, vel ad minimùm idoneè ſe velle conferre caveant. E contra hi qui collationē declinant hanc contrariam adhibent cautelam, ut urgeant compoſſesſionem & præſertim ſi parentes teſtato deceſſerint, tanquam ſcripti heredes immisſionem in poſſesſionem hereditatis juxta *L. 3. C. de Edict. Div. Hadr. tollendo*, petant. Quæſtionem collationis poſt immisſionem ad ipſam diviſionem differendô, unde id commodi conſequuntur, ut fructuum hereditatis participes, collationem vel plane declinent vel duriorem per proceſſum & compoſſesſionem reliquis liberis cauſam faciant, ſuper quibus cautelis ita concertatum fuit in Curia provinciali Jenenſi anno 1677. pronunciatumque 21. Junii in cauſa Fiſcheriſcher Kinder erſter Ehe & Schildiſcher Kinder anderer Ehe: Daß Appellant Schildiſche Kinder in die compoſſesſion ratione ihrer zwey fünff Theile zu immittiren/ auch collationem noch zur Zeit zu thun nicht gehalten. Es hätte denn Appellaten/ welche ad edendum inventarium verbunden/ daß die Collation geſche-

hen müſſe/förmlich erwieſen/wowieder jenen ihn Gegen-Beweiß vorbehalten wird. Quæ ſententia etiam deinde in Illuſtri Regimine aulico Weimarienſi in inſtantia appellationis 24. Octobris 1677. & tandem interpoſitæ Leuterationis d. 10. Januarii 1678. confirmata fuit & in rem judicatam tranſiit.

Collatio ergò quidem ante factam diviſionem poſtulanda,ſed demum in ipſa diviſione facienda. Collationem enim petens tenetur probare conferenda, nec à Collaturis deſignationem acceptorum rectè exigit Mev. *Dec.P.1.Deciſ.85.per tot.* præſertim ſi neget coheres ſe quædam talia quæ in collationem veniunt accepiſſe, prius ergò ab actore denominanda & probanda per *L.23.C.de Probat.* quando autem certum eſt debitum,debiti autem quantitas incerta, tunc juramentô manifeſtare debet is à quo collatio petitur. *Cap. ex litteris 32.X.de Jurejur.* Carpz. *P.3. Conſt. 11.Def. 29.* Mev. *d. P.1. Dec.86.* & ſi hic altera pars juramentum recuſet,ad juramentum in litem admittitur alter. *L.1. & 5.ff.de in lit.jurando.* Collatio igitur quidem ante diviſionem poſtulanda & conditiones præjudiciales removendæ, ſed demum in ipſa diviſione, ut partes hereditariæ poſſint conſtitui,expedienda. Illuſtr. Dn. Stryk. *Tr. de Succeſſ.ab Inteſt.Diſſ.XI. c.5.th.2. in f.*

§. 29. Quando ergò Collatio facienda, aut res vel quantitas,dubiis remotis,eſt conferenda,fit illa vel re ipſa vel cautione. Re ipſa ſi res à parentibus quibus ſucceditur,huic vel illi liberorum datæ, in comunem hereditatis maſſam computantur, quod procedit ſi res extent & in eodem ſtatu permanſerint,tunc enim aliud pro alio coheredibus non obtrudendum per *L. 16. C. de Collat.* adeo ut collatio debeat regulariter fieri

in pe-

in pecunia numerata, ſi hanc liberi à parentibus vivis acceperunt. Carpz. *d. P.3. Conſt.11. Def.30.* quod tamen ita ſecundum æquitatem intelligendum, ut & imputatio ſolummodo in pecunia numerata fiat, ita ut conferens ſibi de pecunia parentum numerata relicta tantum detrahi pro ſua portione patiatur, quantum vivis parentibus accepit. Et ſic non obſtat *L.1. §.12. ff. de collat.* aut enim juxta Vinn. *c.16.n.2.* de volentibus coheredibus, aut ſi res mobilis, aut plane non, aut non in priſtino ſtatu extet, intelligenda, tunc enim imputatio & detrectatio pro portione bonorum quæ unus liberorum accepit, etiam in aliis rebus fieri poterit. vid. Mangil. *tr. de Imputat. & Detract. qu.14. n.1.* Dn. Brunnemann. *in Comment. ad h.l.* Cautio vero exigitur, ſi quis vel rem ipſam non diviſioni hereditatis inferat, vel de quibus rebus an à liberis acceptæ ſint vel an & objectum collationis eſſe debeant in utramque partem quædam indicia adſint juxta *L.1. §.11. ff. de Collat.* Mangil. *d. tr. quæſt. 62. n. 27. & quæſt. 14. n.53.* & fit cautio aut fidejuſſoribus aut pignoribus per *L.1. §. 9. ff. de collat.*

§.30. Effectus ergò collationis eſt, ut res conferendæ vel realiter collatæ, com̃uni maſſæ hereditatis adſcribantur & imputentur, ut aliæ res hereditariæ. *L.1. §.11. verb. in commune redacta ff. de collat.* aut de conferendis caveatur per *d. l. 1. §. 9. & ſeqq. ff. de Collat.* & ibi Dn. Brunnem. *in Comm. ad d. l.* Brunner. *dict. tract. de Collat. cap.5. n.24. & 95.* imò per *tot. cap. 5. de Modis conferendi & modis cogendi.*

§.31. Modi cogendi ergò ſunt, vel Actiones vel Exceptiones, & in ambabus juramenti delationes, de quibus in antecedentibus *dict. L.6. C. de probat.* Carpzov. *Part 3. Conſt. 11. Def. 16. num. 1.* Et iterum diſtingvendum

 an agat

an agat is qui collationem ab alio poſtulat, an verò is qui collationem detrectat, ad bonorum diviſionem provocet, illô caſu datur imploratio officii judicis, ut familiæ erciſcundæ judicio alterum ad conferendum compellat, eive donec hoc præſtiterit commoda hereditaria deneget. Hôc caſu familiæ erciſcundæ actio communis vel ſi parens teſtatò deceſſerit beneficium *L.3. C. de Edicto Div. Hadr. toll.* vid. Struv. *dict. Exerc. 47. §.38.* Exceptiones quod attinet, excipit vel collationem petens vel is à quo petitur. Ille contra petentem hereditatem excipit: quamdiu non contuliſti accepta tamdiu tibi non competit actio ad hereditatem petendam. Brunnerus *d. cap. 5. n. 130.* Hic verò ſolum excipit non teneor conferre, cujus cauſam & fundamentum oſtendere debet. Delatio juramenti etiam ab utraq; parte poteſt urgeri, tam in actionibus & implorationibus officii judicis, quàm in exceptionibus. Mev. *P.1. Dec. 85. n. 4.* prout in prioribus, caſum & præjudicium adduximus.

§. 32. Hoc adhuc lubet ſuperaddere, quod hæc materia collationis & prædicta etiam in pacto unionis prolium locum habeant; Unionem enim prolium diverſorum matrimoniorum e. g. primi & ſecundi conſvetudine introductam eſſe, quam Frantzk. *variar. Reſolut. Lib. 2. Reſ. 28.* ita deſcribit, quod unio prolium ſit liberorum ex diverſis matrimoniis progenitorum pariatio, quoad corpora ſeu facultates diverſarum hereditatum aliàs de jure communi ſeparatarum, eamque de jure ſubſiſtere in propatulo eſt, vid. Gail. *Lib. 2. Obſ. 125. per tot.* ſed requirit *n. 5.* cum Illuſtr. Dn. Stryk. *tr. de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ. 1. cap. 2. n. 10. & ſeqq. Diſſ. 8. cap. 6. per tot.* exactam cauſæ cognitionem apud Magiſtratum loci

&ju-

& judicem competentem præſentibus tutoribus, curatoribus & conſangvineis factam, ut inprimis excutiatur quæ ſint facultates eorum quorum nomine parificatio prolium proponitur, quænam tempora, quæ perſonæ & conditio amborum, & quamvis de hac conſvetudine unionis prolium nullum expreſſum habeamus textum in Jure Juſtinianeo, tamen ad exemplũ adoptionis & arrogationis in hoc caſu ſimili ſubſiſtit per *L.2. C. de adopt.* & ibi Brunnem. *in Comment.* aliosq; DD. & tradit Gail. *d. l. num. 7.* quod proinde Ordinatio Moguntinenſis de Unione prolium in Camera confirmata ſit. Formula unionis prolium præſuppoſitis præſupponendis talis eſſe ſolet: Nebſt dieſen ſollen die Kinder anderer Ehe/ſoferne derer durch Gottes Segen in der anderen Ehe erzeuget werden/mit denen Kindern erſter Ehe/in allen/was die Mutter (vel pater) itzo hat/ auch was beyde Eheleute nechſtkünfftig mit einander erwerben und ererben werden/nach der Eltern Ableben per unionem prolium, gleiche Geſchwiſter ſeyn / und die Verlaſſenſchafft unter ſich in capita vertheilen / und keines dem andern vorgezogen werden. Et hinc ſeqvitur, quòd hâc unione prolium ritè facta, quod hic vel ille liberorum vivis parentibus ex bonis unitis ſeu communibus accepit, parentibus unientibus defunctis in communem hereditatem hæc accepta conferre debeat, per jam deducta Gail. *d. l.* Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Diſſ. 8. c. 6. th. 7. & ſeqq.* Quamvis ſæpe liberis primi matrimonii aliquid præcipui loco ſecundùm vires prioris matrimonii exponatur: Germanicè zum Voraus / nemlich etwas zum Studiren/zu Erlernung einer Kunſt/ zur Ausſtattung bey ihrer Verheyrathung &c. & hoc non confertur per antea deducta.

§. 33. Sed

§. 33. Sed quærere hic lubet an factâ hâc unione prolium parentibus quoad parificatos liberos jus teſtandi ſalvum maneat? Et videtur quod non (1) quia patrimonia liberorum prorſus per hanc conventionem autoritate Magiſtratûs interveniente ſunt confuſa, conſequens E. videtur quod non posſint per parentum teſtamentum in quodam alterari. (2) Quia teſtamenti factio juris poſitivi & civilis eſt, itaque contraria jure civili vel conſvetudine, cui autoritas Magiſtratus accedit, (uti in unione prolium fit) posſit prohiberi quod ſtatuit Rickius *tr. de unione prol. cap. 3. n. 18. ſeqq.* (3) Quia donatione univerſorum bonorum & futurorum facta, donatori nihil remanet, de quo teſtamentum facere posſit, præſertim jure novo poſtquam per *Nov. 1. cap. 2. § 2.* heredi ſcripto à teſtatore injungi poteſt ne retineat Falcidiam. Bachov. ad Treutler. *Vol. 2. Diſp. 19. th. 5. l. d.* Sed affirmativam veriorem eſſe ſtatuit Dn. D. Frantzk. in *lib. 2. Reſol. 28.* Et diſtinguit an parentes ſimpliciter de ſuis bonis an vero etiam de ipſa unione diſpoſuerint. Sicut enim poſteriori modo propter adductas rationes unionem prolium per teſtamentum tollere non poſſunt, ita illis priori caſu teſtamenti factio manet, quia per unionem liberorum non directo de futura ſucceſſione, ſed ſaltem de pariatione liberorum actum eſt, ut ſc. ab alterutro parentum, ſinguli pro veris liberis habeantur, ac ſi ex illis ipſis nati eſſent, & conſequenter ad ſucceſſionem ipſam tanquam naturales & legitimi veniant. Sicuti enim parentibus liberum eſt, proprios liberos ad ſucceſſionem bonorum pro partibus inæqualibus vocare, ita illis quoad parificatos liberos teſtamenti factio libera manet, ſalvâ tamen liberorum legitimâ aliâs e-

jusmo-

juſmodi teſtamenti factio dolô non careret, proinde Fichard. *vol.1. Conſ. 89. poſt num. 7.* hæc verba addit *verſ.* Doch will ich hiemit ꝛc. dieſes Exempel giebet: Ubi Pater uniens denen liberis unitis nicht allein von ſeinen eigenen Vermögen die Legitimam nicht gelaſſen/ſondern auch denenſelben das/was ihnen von ihren mütterlichen Gütern gebühret hätte/per teſtamentum entziehen wollen. quod non procederet.

Priorem autem caſum acerrimè diſputatum vidi in actis privatis Socrûs meæ contra illius fratres & ſorores prioris matrimonii, ubi mater communis non obſtante unione prolium teſtamentô diſpoſuit, ut liberis ſecundi matrimonii ſalva maneant nec conferre debeant illa, quæ ex fructibus bonorum unitorum, reſpectivè ad ſtudia, ad nuptias & in dotem parentes dederant, & poſt longas concertationes in Curia provinciali Sax. Jenenſi pronunciatum fuit 21. Junii, An. 1677. Zur Collation aber deſſen/ ſo Appellanten die Schildiſche Kinder anderer Ehe aus den Gütern bekomen/ mögen dieſelben geſtalten Sachen nach / nicht angehalten werden; Es könten und wolten denn Appellaten die Fiſcheriſche Kinder erſter Ehe/die angeführten Urſachen warümb Appellanten zu der geſuchten Collation verbunden/binnen Sächſiſcher Friſt förmlich/und wie recht darthun/und erweiſen/ damit würden ſie billig gehöret/ und iſt Appellanten ihr Gegenbeweiß und andere Nothdurfft hiemit vorbehalten. Et hæc ſententia in Regimine Illuſtri Vinarienſi in inſtantia appellationis die 24. Octobr. d. an. & inſecutâ Leuteratione 10. Jan. 1678. confirmata eſt, inq; rem judicatam tranſiit. Quam deductionem etiam admittit, & ita Dn. Frantzk. *d. Reſ. 28.*

temperat, Illuſtr. Dn. Stryk. *d, tr. de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ. 8. th. 29. in medio pag. m. 359.*

§. 34. Ex prædictis itaque liquet adverſa collationi eſſe, & ad collationem trahi non poſſe, peculium Caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe. *L. 1. §. 15. ff. de Collat.* nec ſumtus ſtudiorum aut in dignitatem filii conſequendam impenſi per *d. l. 1. §. 16.* Sumtus nuptiales & impenſa in alimenta liberorum. Interitus rei, e. g. ſi ædes absque dolo vel culpa lata liberorum incendio perierint. *L. 1. §. 23. ff. de collat.* de filia verò cujus vir dotem conſtante matrimonio conſumpſit, ſupra prolixius actum, illud tamen adhuc ex *Nov 97. c. 6.* notandum, quòd ſi filia ſui juris & perfectæ ætatis, tempore conſumtionis fuerit & eidem ſciens non contradixerit, nec ex beneficio *L. 29. C. de Jur. dot.* Dotem repetierit, maritô ad inopiam vergente, illam à marito conſumtam conferre debeat, ſi verò minor vel adhuc ſub poteſtate patriâ aut conſumtionis inſcia fuerit, ſolummodo inanem hanc actionem per ceſſionem conferendo, liberatur à Collatione. Ceſſat etiam collatio ſi parentes teſtamento illam prohibuerint, per *Nov: 18. c. 6.* verba verſ. *expreſsè deſignaverit ipſe, ſe velle non fieri collationem.* proinde non ſufficiunt verba diſponentis obſcura & ambigua & extra teſtamentum vel codicillos profeſſa. per deducta Mev. *P. 4. Dec. 233.* Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Differt. XI. c. 6. §. 8.* porro non conferuntur ſimpliciter donata, niſi quatenus cœteri quoque liberi, ad alia accepta conferenda obligantur, vel niſi hujusmodi legem donator tempore donationis ſuæ indulgentiæ impoſuerit. *L. 20. in f. C. de Collat.* quod onus conferendi, & parentes rebus à collatione aliàs privilegiatis e. g. ſumtibus ſtudiorum imponere poſſunt, juxta *d. l. f. C. h. t.* Tandem ceſſat collatio,

latio,ſi filius patris heres eſſe noluerit,ſed hereditatem paternam repudiaverit,ceſſante enim ſucceſsione,ceſſat collatio.

§.35. Plura quidem de hac materia forent proferenda, quia multi caſus & controverſiæ ſeſe tam in LL. & DD offerunt quam in praxi contingere posſunt; Quoniam autem Diſſertationem ſuccinctam non integrum tractatum conſcribere animus fuit, temporisque brevitati & aliis negotiis fuit inſerviendum, quæ ſubtiliorem limam & penicillum meis excusſit manibus, proinde veniam peto ſi non accuratè ſingula propoſui; Deo autem Trinuni debeo Laudem, Honorem & Gloriam.

HActenus illuſtrem Phœbi quæſivit amorem
Möschelius, Veneris captus amore quoque
Quod ſit dignus utroque,probat,dum diſſerit aptè,
Conferri poſſint quâ ratione bona?
Hinc Phœbus confert, confert Venus ipſa coronam.
Præclara ex merito ſic bona jungit amor.
Nunc corpus juris Veneris cum corpore jungas:
Addenturque bonis plura favente Deo.

Hisce Nobiliſſ. Dn. Mœſchel, Candidatum Doctoratus & matrimonii proſequi voluit.

PRÆSES.

COllationum ad opus Themis & Venus allicit unâ
Te Docte Moeschel, ſic lis compoſta Dearum.
Hinc Themis alma tibi meritos jam reddit honores
Et Venus æqua tibi ſociam mox dabit amicam.

Ita Generi futuro applaudit

JOH. ANDR. UNTZERUS,
U. J. D. & Conſil. Dnn. Comitum
ab Hohen[redacted] löens,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE